

1/93

KALENDIS MAIIS

MCMXCIII



RVMOR VARIVS



RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA
TVRICENSI in aedibus AKADis
editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos
annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis: (annuum)

In Helvetia	Fr. 15.--
In Germania	DM 24.--
In Austria	ÖS 170.--
In ceteris	
Europae terris	Fr. 22.--
In terris trans	
maria sitis	US\$ 18.--

Singula specimina qui rogaverit,
gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Udalricus Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum
legentibus publicandarum curat:

C. Meier-Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda sunt
ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der SOCIE-
TAS LATINA TVRICENSIS unter dem
Patronat der AKAD herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis: (jährlich)

Schweiz	Fr. 15.--
Deutschland	DM 24.--
Oesterreich	ÖS 170.--
übriges Europa	Fr. 22.--
Uebersee	US\$ 18.--

Einzelne Probenummern können
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam

Ulrich Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Graphik und Layout:

C. Meier-Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIVS P7 642.719.0

PRÆFATIO

Amicae et amici nostri!

Hodie eorum hominum nostrae societatis mentionem facturus sum, qui imprimis protegendi et curandi nobis sunt, quia minime ipsi se defendere possunt, qui simul pretiosissima bona sunt, quia in iis tempora futura nostra posita sunt: Liberi. "Genus humanum liberis optima debet omnium, quae dare potest." Sic legimus in declaratione iurum liberorum, quam coetus plenarius Consociationis Nationum Unitarum (UNO) die vicesimo anni 1959¹ communi consensu decrevit. Qua declaratione constituit ratione stabili firmaque decem iura, quorum vindiciae unicuique puellae pueroque sint.

Anno 1989^o Consociatio Nationum Unitarum conventionem ad iura liberorum pertinentem decrevit, qua constituit, quomodo essent perficienda iura liberorum. Omnis civitas, quae illam ratificat, obligatur legibus creandis ad iura constituta praestanda unicuique liberorum, qui in eius potestate sint, sine ulla discriminatione, seiuncte a stirpe, colore, sexu, linguā, religione, sententiā politica vel aliā.



Ecce autem iura liberorum, quae sunt:

- I. Ius aequabilitatis sine respectu stirpis, religionis, originis sexūsque.
- II. Ius cultūs sani et animi et corporis.
- III. Ius nominis et civitatis propriae.
- IV. Ius sufficientis victus, ius domicilii curaeque medicae.
- V. Ius curae praecipuae, si corporis vel mentis imminutione laborat.
- VI. Ius amoris, benevolentiae curaeque.
- VII. Ius eruditionis gratuita, ius ludi, otii refectio-nisque.
- VIII. Ius auxilii sine mora lati in casibus calamitosis et rebus adversis.
- IX. Ius praesidii contra crudelitatem, iniuriam exspoliationemque.
- X. Ius praesidii contra persecutionem et ius educationis mente universalis humanitatis, amoris mutui pacisque per totum orbem terrarum.



Adicio nonnullas sententias variorum hominum populorumque in libellis Institutionis Unitarum Nationum Liberis Adiu-vandis (UNICEF) inventas:

Adulti animos ad facta vertunt, liberi ad amorem (India).

Neque magnae inventiones neque progressūs veri sunt, dum unus infans miser in terra est (Albertus Einstein).

Liberi sunt vox populi (Liberia).



Nemo nisi qui in futurum credit, in prae-sens quoque tempus credit (Brasilia).

Si liberos aliorum ambis, tuos propios eo magis amabis (Sudan).

Liberi optimi magistri sunt, quos nobis eligere possumus (J.W. Goethe).

Quis est caecus? Qui mundum alium videre non potest (India).

Non refert, quantum sciamus, sed, quot homines id sciant.

Liberi pons in caelum sunt (Persia).

Spes est ancora mundi (Bantu).

Liberi sunt libri, ex quibus nobis legendum et in quos no-bis scribendum est (P. Rosegger).

Ignorantia est mors, scientia est vita (Persia).

Scientia adansoniae (i.e. arbor, cui vulgatum nomen est 'baobab') similis est: complecti eam non poteris (Sudan).

Decus caeli sol est; decus domus liberi sunt (China).

Virum erudiens hominem erudisti; feminam erudiens totum populum erudisti (Ghana).



Homo, qui nihil scit, de nulla re dubitabit (Simba-bwe).

Adiuvare eos, qui se ipsi adiuvari non possunt (Kon-go).

Risus lenis, quem emittis, ad te revertetur (India).

Sapiens totum annum messem facit.

Dum vivimus, nobis discen-dum est.


Daniel Weissmann

Aenigma

1	2	3	4
2			
3			
4			

1. quae officiis suis fideliter fungitur (Acc.)
2. pulsatione
3. niger
4. bestia parva in agris vel domibus vitam degens (Abl.)

Daniel Weissmann



De Lucullo

Lucullus consul in eo bello adversus Mithridatem Ponti regem gestum optimum ducem se ostenderat. Postea autem molli-ter vivere coepit. Et otio et luxuriae se dedit. Saxa in mare conici iussit, in quibus villas magnificas aedifica-ret.

Pompeius imperator, cum unam Luculli villarum invisisset, magna admiratione affectus: "Pulchra est", inquit, "haec villa et aestate iucunda." Tum autem invidia motus: "Sed hieme commoda esse non videtur." Lucullus ridens: "Ego stultior non sum hirundinibus, quae hieme sedem mutant."

Aliquando Lucullus coquum suum vituperavit, quod cibum mo-diciorem proposuerat. Tum coquus: "Necesse non est, domine, cibum opulentum parari, nam nullum convivam hodie expec-tas." Lucullus autem: "Stulte dicis", inquit, "nonne vides Lucillum hodie apud Lucillum cenaturum esse?"

Barbara Maier

Carmina Spirituality Afrorum (Negro Spirituals)


Sanctis ingredientibus (When the Saints)



1. Sanc-tis in- gre ————— di -en- ti-



bus ————— , sanc-tis in - gre - di-



en- ti- bus fac Deus un - us sim e—

F Fm C F G⁷ C

o- rum, sanctis in- gre - di - en - ti - bus.

- | | |
|--------------------------------------|---------------------------------|
| 2.
Et stellis orientibus... | 6.
Cum circumdatur solium... |
| 3.
Cum Gabriel tubicanit... | 7.
Cum tradunt ei imperium.. |
| 4.
Cum non iam vult lucere sol... | 8.
Cum canitur halleluja... |
| 5.
Cum sanguis luna facta est... | 9.
Sanctis ingredientibus... |

Versio Latina: Martin Meier

Vehe, carruca, me
(Swing low, sweet chariot)

Verba repetenda

Ve - he, car- ru - ca, me ve -ni do- mum

re-fe-ras me! Ve -he, car- ru - ca, me

ve- ni, do - mum re - fe - ras me! 1. Ior-

da - num spec- tans quid tu- e - or ?

ve-ni do-mum re-fe-ras me! cae - le - sti ma- nu

con - du - cor. Ve-ni do-mum-re-fe-ras me!

2.
Si colas caelum ante me
- veni, domum referas me! -
dic ibi adventurum me!
- veni, domum referas me!

Versio Latina: Martin Meier



HISTORIA PINOCULI

Dilecti dilectaeque latinitatis amatores, omnes salvet! Argumentum, quod hodierno die vobis proponam ad pernotam fabulam attinet atque ex ista historia aliquid mihi libet narrare vobisque interpretari.

"Fuit quondam...."

-Rex quidem! - mei parvi lectores fortasse dixerint.

-Minime: pueri, erravistis. - Fuit vero quondam ligneum fragmentum quoddam..."

Iis verbis incipit unus ex notissimis in orbe terrarum libris, qui ad pueros edocendos - nec ad pueros tantum - pertinent: Pinoculus. Nam historia illius pupuli ab ingeniosa Caroli Collodi mente ficti, lecta beneque impressa in puerorum mentibus omnis fere orbis terrarum est atque usque a primis verbis notare possumus, quod peculiare istius libri est: in eo enim non de rege quodam aut regina nec de personis, quae in fabulis more solito invenire solemus, dicitur, sed de simplici pupulo. Nam in isto libro, ut inter omnes constat, narratur de ligneo fragmento (ex illis, quae hieme in focus collocari solent), quod quodam die inventum est a fabro tignario, cui nomen erat Magister Antonius, sed omnes Magistrum Cerasum cognominabant, quia nasus ipsius perlucidus semper apparebat tamquam maturum cerasum esset. Magister Cerasus istum fragmentum ligneum donat amico Josepheto, cui pueri illius vici, ioci causa, cognomen Polendinae adferebant propter eius capillamentum, quod 'polentae' simillimum erat. Josephetus demisso animo vitam degit: nec mulieren, nec filios neque familiares secum habet et animi aegritudo adeo eum cepit, ut desideraret aliquem, vel quoque aliquid, qui una cum eo viveret, quocum ille loqui posset solumque se sciret non esse. Idcirco vult pupulum sibi conficere ex illo ligno ei donato; itaque alacriter operari coepit atque primum capillos, frontem, oculos fecit, deinde nasum, os, mentum, collum, bracchia manusque finxit. Tali modo pupuli formam ligneo fragmento dedit idque Pinoculum vocare voluit.

At non est iam tempus plura vobis narrandi, sive quod temporis exiguitas me properare monet, sive quod longum est

singulatim varios casus istius pupuli enumerare. Melius est, mea quidem sententia, ex toto libro eligere eos locos, qui aptiores sint ad illius fabulae venustatem demonstrandum.

Pinoculus et Gryllus loquens. In quarto capitulo, de Pinoculo Grylloque loquenti fabula narratur. Vox Grylli vox veritatis nec non conscientiae est, sed taediosa ea apparet illis improbis pueris, qui se a sapientioribus viris emendari nolunt permolestaque id ferunt. Quam ob rem Grylli verba, quae Pinoculum in paternam oboedientiam inducunt, minimi momenti apud illius aures sunt: frustra Pinoculum monent, ut vitet amicos, qui parentum imperium obtrectent arbitrataque suo vitam degere velint. Frustra pupulum hortantur, ne in socordia vitam suam agat: Pinoculus scholam studiumque fastidit magisque delectatur - ut mos effrenatorum puerorum erat - in arboribus ascendendis ad eripiendas ex nidis aviculas aut papilionibus persequendis. A mane usque ad vesperum semper ei grata fuere edere, bibere, dormire, animum relaxare. Grylli igitur admonita consiliaque, quorum Pinoculum taedet, ad irritum cadunt: ex quo multa varia et iocosa, quae ex parte tantum narraturus sum.

Pinoculus et Igniphagus, pupulorum magister. Cum studia omniaque ad ea pertinentia fastidiret, Pinoculus abecedarium, quod ei Josephetus emerat venditans suum sagum, vendidit, ut spectaculum in pupulorum theatro gustare posset: at in theatro a pupulorum magistro, cui nomen erat Igniphagus, captus est. Horrida barba ei erat et atra; praeterea ille tam corpulentus atque visu foedus homo erat, ut terrorem omnibus iniceret. Igniphagus in coquina ad cenandum sibi paraverat pulchrum arietem, sed illius coquendi causa ei ligno opus erat: tali modo super focum Pinoculum inicere vult at ubi primum ille pupulus ululare coepit se mori nolle, tunc Igniphagus turbari et misericordia in illum moveri coepit, vitam eius servavit etiamque, liberalitate captus, ei donavit quinque aureos nummos, quos Josepheto patri adferret.

Pinoculus Cattum et Vulpem invenit. Pinoculus se id facturum esse promisit, sed suum propositum adsequi non potuit, quia a Catto et Vulpe deceptus est. Nam simul cum iis primum ad quandam cauponam, Cancrum rubrum cognominatam,

pervenit, deinde post cenam Cattus et Vulpes eum inducunt ad serendos illos aureos nummos in campo miraculorum, iurantes periurantesque eum brevi pro iis nummis mille aut duo milia aureorum invenire posse. Postridie Pinoculus in campum miraculorum rediit, ad locum ipsum, in quo superiore die foveam, ut aureos nummos introduceret, effoderat. in mente fingeat ille stultus, sicut ei antea Cattus et Vulpes confirmaverant, se divitem fore. Falso: nam postquam profundam foveam effodit, nihil invenit, quod aurei nummi illinc elapsi erant.

Pinoculus et Pulchra Puella caesis capillis. Hoc temporis intervallo, magis magisque in dies Pinoculus moleste fert partes pupuli agere et bonus honestusque puer fieri vult. Pulchra Puella caesiocapillata adiuvante, Pinoculus suum intentionem ad extremum conficiet, sed iter emendationis purgationisque, quo pupulus ad recte vivendum pervenire possit, nec simplex neque facile, immo etiam molestum dolorosumque aliquando est. Nam necesse est proprium modum vivendi a fundamentis mutare et ubi antea iocum variaque oblectamenta puerilis aetatis (otium et socordia in primis) aderant, nunc necessario proposita veri et recti vitae itineris esse debent. Pinoculi ingenium non omnino pravum apparet: sunt in eo aliqua bona proposita, sed brevis temporis intervallo ea sub delectamentis vitaeque solaciis deficiunt.

Pinoculus in regione omnibus bonis atque deliciis repleta. Pinoculus enim, non Puellae caesiocapillatae consilii obtemperans, cum Lucinulo - inter omnes scholae pueros ignavus maxime - Crepundoviam proficiscitur. Crepundovia pagus ille perbeatus est, in quo omnes hebdomades e sex constant diebus Iovis et una Dominica atque pueri nullo studiorum officio obligantur. Ille pagus vere regio omnibus bonis ac deliciis affluens erat. Ut Crepundoviam feliciter Pinoculus pervenit, quocumque se vertebat semper ante oculos pueros ludentes habebat: alii inter se insequabantur, alii delectabantur ambulantes manibus terra innixis, alii denique, tamquam duces quidam essent, galea ornati et gladium destringentes obambulabant. Cum sextum iam mensem istam iucundam vitam Pinoculus degeret, asininiae aures ei increscere coeperunt ac in verum asellum transmutatus, rudere incepit. Tum Pinoculus asellus primum ad forum

asinorum, ut veniret, ductus est; deinde a quodam emptore emptus est, ut saltaret trochosque transiliret in asinorum spectaculo; postremo, claudus factus, ab alio emptore redemptus est, qui sibi ex illius pelle tympanum conficere volebat. Iste Pinoculus asellum fune ligavit in aquamque proiecit et iam secum cogitabat, quanti pellis emenda esset, cum asellus denuo pupulus, ut antea, factus est. Deinde, ut brevi dicam, nocte quadam Pinoculus in somnio vidit Puellam caesiocapillatam, quae ei omnia proterve facta pepercit. Cum e lectulo surrexisset, in speculum se inspexit et alius factus esse sibi visus est: nam speculum non pupuli imaginem reddebat, sed adulescentuli nigro capillo oculisque caeruleis. Id valde laetatus exclamavit: "Quam gaudeo, quod verus puer factus sum."

Cum ad fabulae finem pervenerim, meam narrationem concludere volo verbis Benedicti Croce: "Lignum, in quo Pinoculus insecatur, est humanum genus et ille assurgit in vitamque intrat sicut homo quidam, qui proprium tirocinium suscipiat."

Petrus Paulus Galigani Italus Pistoriensis



SOLUTIONES

Ecce solutiones parvorum aenigmatum libelli 4/92

¹	L	²	E	³	A	⁴	M
²	E	R	G	O			
³	A	G	E	R			
⁴	M	O	R	A			

¹	M	²	A	³	R	⁴	O
²	A	C	E	R			
³	R	E	M	I			
⁴	O	R	I	S			

Domesticae plantae

Coram mille libris, qui vere silente virescunt,
vos video in nostro conclavi crescere, plantae.
Angusto in spatio vivunt nemora omnia terrae
e quibus innumeri dulcesque oriuntur odores.
Salvete, o plantae! Mihi vos quanto meliores
hoc genere humano cuius (mihi parcite) pars sum!
Vos intelligo, vos (hoc certum) intelligitis me:
non sunt inter nos communia verba loquenda.
Gratus sum vobis pro vitae munere purae,
pro tenera atque humili quam me bonitate docetis.
Salve, casta domus plantis et amore repleta!
Et tu, pulchra hominum tellus bello sine, salve!

Iosephus Tusiani Neo-Eboracensis



Quotiens aerumnis opprimor...

(When I find my self in times of trouble...)
(Beatles)

Quotiens aerumnis opprimor, Maria Mater adest mihi,
alloquens sapienter, Amen.
Ac in tenebris cordis mei obviam adstat mihi,
alloquens sapienter, Amen.
Cum desperantes homines, qui in mundo sunt, consentient,
tunc erit responsum, Amen.
In nocte nebulosa attamen lumen est, quod lucet mi:
luceas ad mane, Amen.
Expergiscor musica, Maria Mater adest mihi,
alloquens sapienter, Amen.

Versio Latina: Hans v. d. Waerden

Quot per vias ambulandum est viro...


(How many roads must a man walk down...)
(Bob Dylan)

Quot per vias ambulandum est viro,
dum tandem appellabitur vir?
Quot maria transvolanda albae columbae sunt,
dum dormire in arena ei licet?
Quotiens cannonis glandes proicientur,
dum id fieri interdicerent homines?
Responsum, amice, venti auferunt, responsum venti auferunt.

Quot annos montibus exstare licet,
dum aquae in mare eos auferunt?
Quot annos gentes quaedam vivere debent,
dum liberari queunt?
Quotiens avertere homo oculos potest,
se quicquam videre negans?
Responsum, amice, venti auferunt, responsum venti auferunt.

Quotiens levare in altum oportet capita,
dum caelum homines aspicient?
Quot aures uni esse debent homini,
dum clamorem alterius audiet?
Quot morientur, dum omnes tandem intellegent
nimis multos iam esse mortuos?
Responsum, amice, venti auferunt, responsum venti auferunt.

Versio Latina: Hans v. d. Waerden



Quomodo America separare possit mentes nostras

Cum me taedeat iterum iterumque verba facere contradictoria in amicum a me fortiter dilectum et aestimatum, tamen impediri nequeo, quin Danieli, redactori nostro summo, paulisper obloqui ausim. In praefatione enim, quam exhibuit in RUMORE VARIO Idibus Decembribus (sed Kalendis fere Aprilibus apud lectores emerso), complura affert argumenta, quibus me non vehementer tantum aggreditur, sed - quod mihi gravius esse videtur - me hominem pertinacem et indocibilem, ne dicam satis stultum, esse lectoribus insinuare conatur. Iam audio eum vociferantem se numquam talibus esse usum verbis atque me textum suum false legisse. Concedo eum talia verba non scripsisse, sed vos interrogo: Nonne pertinacis tantum est crimina ab Hispanis in Indios commissa negare? Nonne indocibilis tantum est crimina gravissima per alia crimina excusare? Nonne stulti tantum est orbem terrarum dividere in "bonos catholicos" et "malos protestantes", in "iustos dexteros" et "perfidios sinistros", in "mites Europaeos" et "crudeles Indianos?" Constat hoc: Quisquis Danielis praefationem bene et prudenter perlegerit, me hominem studio et ira incensum atque ad iudicium obiectivum nullo modo aptum esse iudicabit!

Quae cum ita sint, lectores maxime honorabiles lectricesque carissimae, fas esse puto me contra impetus Danielis verbales defendere mihi licere.

Primum: Daniel saepenumero me textum suum anteriorem false legisse arguit atque repugnasse non ea, quae dixisset, sed quae se dixisse falso modo putavissem. At illum textum ter quaterve prudentissime perlegi, antequam auderem contradicere. Aliud est aliquid dicere vel affirmare, aliud dictis vel affirmatis stare! Ceterum Daniel ipse textum meum contradictorium non serie legisse videtur, quod multa me affirmasse affirmat, quae numquam affirmavi. Uter ergo trabem in oculo habeat, vos, lectores, ipsi diiudicate!

Deinde: Crimina ab Hispanis in Indianos commissa numquam negavi. Constat multa scelera eademque crudelissima et inhumanissima in incolas indigenas Americanos commissa esse ab Hispanis auri avidissimis. Qui hoc negaverit, homo ignarus est. Eodem modo autem constat imprimis ecclesiam catholicam indigenarum trucidationem non tolerasse, sed

multa temptasse ad Indianos tutandos et ad sortem eorum leniendam.

Tertium: Crimina, quae inter diversas gentes Indianicas commissa sunt, numquam dixi crimina ab Hispanis commissa excusare. Mala non malis repugnanda sunt! Tantummodo volui dicere Indianos ipsos non tam pacifice inter se vixisse ante Columbi adventum, quam Danielis oculi caerulei nobis insinuare volunt. Quomodo viri velut Cortez et Pizarro imperia maxima Aztecorum et Incarum plane destruere potuissent, nisi adiuti essent ab indigenis quibusdam? Hoc facto culpa Cortis et Pizarri non minuitur, sed concutitur illa imago paradisiaca Indianorum innocentium, quam Daniel pingere solet.

Quartum: Numquam locutus sum de "bonis catholicis" et de "malis protestantibus". Talis imago nigra-alba non exstat nisi in Danielis mente. Mentionem faciens de criminibus ab expugnatoribus protestanticis in America septentrionali commissis nolui exculpate crimina, quae fecerant homines catholici, sed volui in memoriam revocare, quae ab historiographis ex Europa septentrionali oriundis persaepe oblivioni traduntur, factum enim, quod non Hispani tantum, sed etiam Britanni in indigenas saeviebant. Constat etiam calvinistas alio more Indianos tractavisse ac catholicos, quia illi indigenas beatos fieri posse negabant, hi autem Indianos ad fidem Christianam convertere conabantur, ut olim caelum adire possent. Aequum non est hodie, i.e. ex distantia quinque saeculorum, de studio convertendi ridere vel id studium rem pessimam iudicare. Inter homines quoque catholicos numquam theoria ista rassistica praevalebat, quam lingua Batavica "apartheid" appellamus. Homines nigri, albi rubrique in America meridiana et centrali plerumque inter se commiscebantur. In America autem septentrionali variae gentes semper segregatae vivebant.

Quintum: Id, quod scripsi de aetate nostra, Daniel mea sententia repugnare non potuit. Memorans enim organizationes contra pollutionem circumiectorum pugnantes confitetur talem pollutionem esse eandemque gravissimam, nam, nisi esset, tales organizationes necessariae non essent. Falso supponit me eas non novisse, sed vos, cari lectores interrogo: Nonne sunt eae plus quam gutta in lapidem ferventem cadens? Sed aliud volui dicere aetatem nostram

commemorans: Multi nostrum - inter quos et Daniel - de temporibus longe peractis deque eorum hominibus severissime iudicare solent. Cui hoc prodest? Quae facta sunt, mutare non iam possumus. Possumus vero errores hodiernos vitare sive sanare. At hoc ipsum fieri non video, sed animadverto homines nostri temporis multos (non omnes scilicet!) non meliores esse quam maiores, sed immo peiores et crudeliores. Progressus, qui dicitur, technicus divitias nostras et facultatem amplificaverit licet, sed mentes et animas nostras nullo modo purgavit nec in statum meliorem extulit. Ad sanandas animas non progressu tecnico opus est, sed sola fide in Deum omnipotentem patrem et creatorem omnium!

Sextum: "Sinistros" sive "dextros" tantummodo eos voco homines, qui se ipsi "sinistros" sive "dextros" appellare solent. Non cuiquam titulum "sinistri" affigo, nisi sinister est. Acta autem diurna vel periodica perlegens intellexi sinistros semper semperque illas fabulas de genicidio Indianico ab Hispanis commisso narrare, dextros autem crimina non negare, sed umbras et solem videre posse. Utrum factiones sinistrae plus boni an plus mali in se habeant, diiudicare non ausim. Respondeant populi, qui ab anno 1945^o usque ad annum 1989^{um} sub regiminibus sinistris vivere cogebantur.

Septimum: Daniel mihi ab ipso quaerenti, num gauderet hodie iter per Americam faciens hostia deo quolibet immolanda captus, "multo risu leni" se motum esse dicit.

Hoc fieri, i.e. hominem hostiam capi, hodie negat. Recte iudicat, sed unde fit, ut hodie in America homines non iam immolentur? Nulla alia causa nisi, quod indigenis fides Christiana illata est.

Octavum: Multum interest - secundum meam opinionem inter sacrificia humana ab Aztecis aliisque gentibus Indianicis deis eorum oblata et inquisitionem inde a saeculo undecimo circiter usque ad saeculum septimum decimum vel duodevicesimum per ecclesiam catholicam peractam. Illa sacrificia pars erant integralis religionis Aztecicae. Inquisitio vero, i.e. inquisitio exaggerata - in principio enim inquisitio nil aliud erat nisi instrumentum ad fidem Christianam puram retinendam - perversio quaedam erat fidei Christianae. Dei Aztecici hostias postulare putabantur, Deus Christianus omnes hostias, imprimis humanas, repudia-

bat et repudiat, quia Iesus Christus hostia unica et definitiva crucifixus pro nobis mortuus est. Ceterum inquisitio non homines quoslibet itinera forte facientes capitis damnabat, sed "tantummodo" illos, qui haereticos se praestiterant et redire in gremium ecclesiae repudiaverunt. Certe facinora talia attamen nullo modo laudanda sunt, quia Deus ipse unicuique homini liberum concedit arbitrium, utrum pro se aut contra se vitam dirigat. Denique, ut verba Danielis repetam: "Iniuria et scelera excusari non possunt" per alia scelera. Inquisitio non exculpat sacrificia humana ab Aztecis immolata.

Nonum: Daniel saepenumero me praeiudiciis captum esse affirmat. Quid autem est praeiudicium? Praeiudiciis, ut opinor, captus est ille, qui non cogitationibus propriis ad finem quendam ducitur, sed repetens tantum id, quod alibi audiverat vel legerat. Simili modo ac Daniel hodie homines plerique de rebus Americanis sentiunt, quippe qui "certiores" factos esse se credant per acta diurna, per televisionem radiophoniamque, quae omnia argumenta similia profertur. Paucissimi tantum bene animadvertunt nos saepissime "desinformari" illis mediis, quae dicuntur. Valde doleo, quod Daniel non est inter eos paucissimos!

Sed patientia vestra, lectores spectatissimi, iam nimis abusus sum. E controversia inter Danielelem et me videre potestis RVMOREM VARIUM re vera varium esse!

Martinus Meier

Quibus scriptis Martini, cui scilicet se defendere licuit non aliter ac antea mihi licuerat me contra impetus criminationesque eius defendere, huius disputationis finem facimus.

Daniel Weissmann



Francofurti, 1993-01-29

Mechtildis Hofmann et Robertus Maier Omnibus Amicis Linguae Latinae Plurimam Salutem

Hoc anno rem novam vobis annuntiare possumus: anno 1993 enim non solum una *Septimana Latina* fiet, sed duae! Primam enim *Septimanam Latinam* in Francogallia instituemus. Habebitur haec *Septimana Latina Francogallica* Franciae Villae (Francheville) in suburbano Lugduni (Lyon). Francavilla (Francheville) in occidente Lugduni sita est, quod oppidum circiter 10 chiliometris a centro Lugduni distat.

Ex aliquot iam annis numerus eorum, qui *Septimanae Latinae Amoeneburgensis* interesse voluissent, numerum locorum longe superabat. Ideo necessarium putavimus hanc novam *Septimanam Latinam Europaeam* in corde Europae initiare.

Pretium *Septimanarum Latinarum* hoc anno paululum augebitur, quoniam pretia pro victu et habitatione interim aucta sunt. *Septimana Latina Francogallica* vero eodem pretio erit ac *Septimana Latina Amoeneburgensis*.

Practerea vobis denuo *Commercium Epistularum Latinum Europaeum* commendamus, quod iam anno praeterito cognovistis. *Commercium Epistularum Latinum Europaeum* iam plus 600 discipuli, studiosi, magistri aliique amatores linguae Latinae ex toto orbe terrarum participant.

His inceptis scilicet communicationem et amicitiam inter homines diversarum nationum adjuvare nobis propositum est, praesertim tempore nostro, quo discordiae et contentiones toto in mundo terrificae crescunt. Ideo nobis maxime cordi est homines non solum ex Europa, immo ex toto mundo *Septimanas Latinas Europaeas* et *Commercium Epistularum Latinum Europaeum* participare.

Hac de causa vos rogamus, ut nuntios nostros discipulis, magistris, amicis omnibusque, quorum intersunt, communicetis atque schedulas et tabulas invitatorias in scholis et institutis vestris patefaciatis. Maximas iam nunc gratias vobis pro auxilio gratissimo agimus.

Liebe Freunde,

in diesem Jahr können wir etwas Neues ankündigen: 1993 wird nicht nur eine *Latetnwoche* stattfinden, sondern zwei! Wir werden nämlich die erste *Latetnwoche* in Frankreich veranstalten. Sie wird in Francheville, einem Vorort von Lyon stattfinden (etwa 10 km vom Stadtzentrum Lyons entfernt).

Seit einigen Jahren übersteigt die Zahl derjenigen, die an der *Amöneburger Latetnwoche* teilnehmen wollen, die Zahl der vorhandenen Plätze bei weitem. Deshalb haben wir es für notwendig gehalten, eine neue *Europäische Latetnwoche* im Herzen Europas zu initiieren.

Der Preis für die *Latetnwochen* wird in diesem Jahr etwas höher sein, da sich die Kosten für Unterbringung und Verpflegung inzwischen erhöht haben. Die französische *Latetnwoche* wird jedoch genau dasselbe kosten wie die Amöneburger Latetnwoche.

Außerdem empfehlen wir Ihnen nochmals die *Europäischen Latetnischen Brieffreundschaften*, die Sie bereits im letzten Jahr kennengelernt haben. An diesen *Europäischen Latetnischen Brieffreundschaften* nehmen inzwischen mehr als 600 Schüler, Studenten, Lehrer und andere Liebhaber der lateinischen Sprache aus der ganzen Welt teil.

Mit diesen Projekten wollen wir natürlich die Verständigung und Freundschaft zwischen Menschen verschiedener Nationen fördern, zumal in unserer Zeit, in der Auseinandersetzungen und Konflikte auf der ganzen Erde erschreckend zunehmen. Daher liegt es uns besonders am Herzen, daß sich nicht nur Menschen aus Europa, sondern aus der ganzen Welt an den *Europäischen Latetnwochen* und an den *Europäischen Latetnischen Brieffreundschaften* beteiligen.

Deshalb bitten wir Sie, unsere Nachricht Schülern, Lehrern, Freunden und allen, die sich dafür interessieren, bekannt zu machen und die Einladungen und Plakate in Ihren Schulen und Instituten aufzuhängen. Wir danken Ihnen schon jetzt für Ihre Hilfe.

Optime valete! Merci d'avance et à bientôt Mit vielen Grüßen

Mechtildis Hofmann, Robert Maier

Europäische Lateinwochen e.V., Frankfurt am Main (Germania)

European Language Institute (ELI), Recanati (Italia)

LATINE LOQUI - ROMANE COQUERE

LATINITATEM INTER NATIONES

Quinta Septimana
Latina Amoeneburgensis

moderatores: Mechtildis Hofmann et Robertus Maier

quando?: a die 22^o usque ad diem 28^{um} mensis Augusti anno 1993^o

ubi?: Bildungszentrum Johannes-Haus et gymnasium Amoeneburgense, D-W-3572 Amöneburg (Amoeneburgum apud Marburgum)

pretium: 330.- DM pro victu et habitatione in domo, cui nomen "Johannes-Haus" (maximus numerus participum erit 35), 110.- DM pro institutione (includitur pretium pro duabus cenis Romanis et pro excursione)

Inscriptiones ad hanc *Septimanam Latinam* petuntur usque ad diem 15^{um} mensis Iunii ad:

Robert Maier
Dresdener Straße 10
D-6070 Langen

Vos, discipuli, studentes, magistri sermonisque Latini amatores ad quintam *Septimanam Latinam Amoeneburgensem* invitamus. Discite Latine loqui! Cognoscite homines ex diversis nationibus! Studia Latina vestra fructus ferent. Hoc inter colloquia, ludos, convivia experiemini et exercebitis. Novum aditum ad cultum Romanum atque Europaeum demonstrare volumus. Sermo Latinus quam ad litteras per saecula exprimens tam in vita cotidiana adhuc valet. Etiam res coquinarias Romanas coleamus, ut iucundam partem vitae Romanae antiquae cognoscamus. Apportate etiam, si vobis placet, instrumenta musica et photomachinas vestras! Si plus scire voletis, telephonate ad:

Robert Maier, tel. (0049)-69-64353036

Vos salutant

Mechtildis Hofmann et Robertus Maier

Europäische Lateinwochen e.V. Frankfurt am Main (Germania)
European Language Institute (ELI), Recanati (Italia)

LINGVA ET CVLTVS LATINVS TEMPORE NOSTRO

Invitatio ad primam Septimanam Latinam Europaeam Lugdunensem

Moderatores : Mechtild Hofmann et Robert Maier
Quando? : a die 24^o usque ad diem 30^{um} mensis Iulii anno 1993^o
Ubi? : In domo «La Chardonnière»
65, Grande Rue
F-69340 Francheville
(ca. 10km a centro Lugduni)
Pretium : 980.- Ffrs pro victu et habitatione in domo, cui nomen «La Chardonnière» (1070.- Ffrs pro conclavi unius lecti), 520.- Ffrs pro institutione (includitur pretium pro omnibus inceptis et duabus excursionibus).
Maximus numerus participum erit 30.

Inscriptiones ad hanc Septimanam Latinam petuntur usque ad diem 15^{um} mensis Iunii ad:

Lucette Pinot
44, Résidence des Châtaigniers
F-45800 St.-Jean-de-Braye

sive ad
Robert Maier
Dresdener Straße 10
D-6070 Langen

Vos, discipuli, studentes, magistri sermonisque atque cultus Latini amatores ad primam Septimanam Latinam Europaeam Lugdunensem invitamus. Una experiemur linguam Latinam vivam, coquinam Romanam, faciemque antiquam et modernam Lugduni, urbis revera Europaeae. Cognoscite simul novos amicos ex diversis nationibus! Interesse nostris colloquiis ludis aliisque inceptis. Programmata nostro novus aditus ad cultum atque humanitatem Romanam et Europaeam aperitur. Apportate etiam, si vobis placet, instrumenta musica et photomachinas vestras! Si plus scire voletis, telephonate ad:

Robert Maier, tel. (49)-69-64353036

Vos salutant

Mechtild Hofmann et Robert Maier

SVBNOTO RVMOREM VARIVM
(Ich abonniere RVMOR VARIVS)

SVBNOTO RVMOREM VARIVM DONO
DATVM ALICVI
Factura subnotationis mittenda est ad adressam infra stantem.
(Ich abonniere RVMOR VARIVS für mit Rechnung an:)

Datum und Unterschrift

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach

8050 Zürich

AZB

8050 Zürich

1/93

KALENDIS MAIIS

MCMXCIII



RVMOR VARIVS



TOMVS 16

FASC. '97